

**Disputatio medica inauguralis de phlegmasia dolente puerperarum ... /
Eruditorum examini subjicit David Barry.**

Contributors

Barry, David.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Abernethy & Walker, 1807.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jm6xwx8k>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHLEGMASIA DOLENTE
PUERPERARUM.

DISPUTATIO MEDICA
D. GEORGE BAIRD, S. S. B. P.
INAUGURALIS
DE
PHLEGMASIA DOLENTE
PUERPERARUM.

EDINBURGH
WILLIAM LEITCH & CO. PRINTERS
1855

DISPUTATIO MEDICA

IN VENEREALIBUS

DE

PHILICOMASIA DOLENTE

IN UTERO MATRIS

DISPUTATIO MEDICA
 INAUGURALIS
 DE
 PHLEGMASIA DOLENTE
 PUERPERARUM;
 QUAM,
 ANNUENTE SUMMO NUMINE,
 EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
 D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
 ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
 NECNON
 AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
 NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
 PRO GRADU DOCTORIS,
 SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
 RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
 ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
 DAVID BARRY,
 HIBERNUS,
 SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTR.

VIII. Kalendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
 EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.
 1807.

DISPUTATIO MEDICA

IN AUCURIALIS

DE

PHTHEGMASIA DOLENTI

PUTRERARIUM;

QUAM

AVVENTE DOMINO NOMINE

EX AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI VIRI

D. GEORGI BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIE EDIMBURGENSIS PRAECEPTI

PRO

AVVENTI SENATU ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMO FACULTATIS MEDICAE DOCTORE

PRO GRADU DOCTORIS

AVVENTI IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

AVVENTI ET LEGITIME CONSERVANDIS

AVVENTIUM TRANSMITTENDIS

DAVID BARRY,

HABENS

AVVENTIUM. MDCCCXXXII.

VIII. Edinburgi in Libris, quibus venduntur.

EDIMBURGI

EXCUBANT ARNETHY & WALLER.

1807.

VIRO EXIMIO,
CORNELIO O'BRIEN,

ARMIGERO,

DE KILCOR,

IN COMITATU CORCAGIENSI,

AMICO SUO CARISSIMO, ET SPECTATISSIMO ;

OB AMICITIAM ET BENIGNITATEM,

QUIBUS EUM SEMPER PROSEQUUTUS EST,

HANC DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

CONSECRAT

AUCTOR.

VIRO EXIMO,

CORNELIO O'BRIEN,

ARMIGERO,

DE KILGOR,

IN COMITATU CONRAGIENSIS,

AMICO SUO CARISSIMO, ET SPECTATISSIMO;

OB AMICITIAM ET BENIGNITATEM,

QUIBUS EUM SEMPER PROSEQUUTUS EST,

HANC DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

EA, QUAE PAR EST, OBSERVAVIT

CONSERVAT

AUCTOR.

NECNON,

PATRI SUO CARISSIMO,

THOMÆ BARRY, M. D.

DE CASTLELYONS,

HANC DISPUTATIONEM,

PEREXIGUUM,

SED SINCERUM,

OBSERVANTIÆ, AMICITIÆ ET AMORIS

TESTIMONIUM,

D. D. D^{QUE}

DAVID BARRY.

NECRO,

PATRI SUO CARISSIMO;
DISPUTATIO MEDICA
THOMAE BARRY, M. D.

IN AEGYPTO
DE CASTELLON

HANC DISPUTATIONEM
PHILOGENASIA DOLENTI

PEREGRINATA

SED SINCERUM

OBSERVANTIA, AMPLIUS ET AMORIS

PEREGRINATA

D. D. Dous

DAVID BARRY

DE PHLEGMASIA DOLENTE

Hunc morbum Herocratus peripneustice esse
non censet. Hujus etiam per multos annos
successores vesalem et alios nullum non in-
telle cogitavit. Hæc autem observationes
operæ chirurgicæ de Wier et observationes
pædæ, ex quibus hæc morbus non
dum isque chirurgi illatus observationem non
penitus prætermissæ sunt. Galenus

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHLEGMASIA DOLENTE

PUERPERARUM.

INTRA paucos dies, vel ullo postea tempore usque ad sextam vel septimam post partum hebdomadam, tumor calidus, dolorem afferens, elasticus, albus, tensus et uniformis in extremitatibus inferioribus, vel sæpius in illarum unâ, aliquandò occurrit. Variis temporibus hanc affectionem medici variis nominibus designaverunt. Apud Gallos, *l'enflure des jambes et de la femme accouchée*, vel *depot du lait*; *œdema lacteum*, apud Germanos; et apud Anglos nostros, *phlegmasia dolens* plerumque appellatur.

Hunc morbum HIPPOCRATI perspectum esse non constat : Hujus etiam, per multos annos, successores realem ejusdem naturam non meliùs cognovisse videntur. Sunt equidem in opere chirurgico de WISEMAN observationes quædam, ex quibus concludi potest, hunc morbum istius chirurgi illustris observationem non penitùs præteriùsse ; nihilominus eum Gallos primum accuratè descripsisse confitendum est. Primum de hoc morbo tractatum (anno 1712) edidit MAURICEAU ; remque brevi tempore ulteriùs prosequuti sunt LEVRET, PUZOS, SAUVAGE, &c. In Anglia etiam, WHITE, TRYE, DENMAN, HULL, aliique plurima nuper de eâdem re scripserunt ; et nihilominus confitendum est, post illorum accuratas observationes, esse quædam propria istius morbi singularis, quæ adhuc investigationem requirunt.

Morbus, de quo tractamus, statui graviditatis peculiaris esse dici potest ; sed nunquam nisi post partum occurrit *. Duo citari possunt exempla, in quibus nutrices, post partûs mortem, affectæ sunt ; atque unum saltem, in quo,

* Vide HULL's Treatise on Phlegmasia Dolens, p. 132.

post abortum ad quintum mensem, morbus evenit *. In extremitatibus inferioribus solummodò occurrit. Mulieres omnium ætatum, conditionum, vel habituum, illo afficiuntur. Post partum vel facilem vel difficilem; in iis quæ robustæ sunt, vel debiles ex hæmorrhagiis, vel ex aliâ quâcunque causâ; in juvenibus, vel in iis quæ ætatis sunt provectoris; in divitiis, vel in paupertate; in macilentis, vel in pinguibus; in sedentariis, vel in industriis; post partum, vel primum, vel subsequentes, similiter occurrit: sed eadem mulier plùs quàm unâ vice rarò afficitur. Non constat eum pendere ex modo, quo parturientes, dum ægrotant, tractantur; sed oportet eum suspicemur quicumque sit locus, vel status puerperii, non obstantibus opinionibus quorumdam scriptorum, qui dicunt, latus, in quo per partum jacebat puerpera, sæpius, vel plerumque, affici. In iis, quæ lactis copiam habent, vel suppressionem; quæ lac præbent, vel non, æqualiter evenit: in iis etiam, quæ fluxum vel modicum, vel parvum, vel copiosum lochiorum habent; et, denique, in qui-

* Vide DUNCAN's Med. Comment.

busdam casibus, post febrem puerperalem, et post thoracis inflammationem, evenisse dicitur.

Tempora, quibus occurrit phlegmasia dolens, uti suprâ observavimus, varia sunt. Intra spatium viginti quatuor horarum evenire potest; aliquandò non citiùs quàm ad quintam vel sextam hebdomadam; sed plerumque intra quintam et duodecimam post partum diem occurrit. Exacerbatio febrilis hujus morbi prænunciatus est; in quâ sequentia symptomata, dorsi nempe dolor, totius corporis algor cum calore adaucto subsequente, observantur. Ipsius membri affectio hæc symptomata citò subsequitur; quod autem attinet ad realem, quo tentatio evenit, modum, doctis inter se haud convenit; ex eo præcipue, quod omnes ferè auctores, qui de hoc morbo scripserunt, ejus historiam ita tradidere, uti cum illâ, quam constituere volunt, causâ proximâ conveniret.

Quod ad meam opinionem spectat, si ex iis, quæ ex aliorum scriptis didici, loqui liceat, hujus morbi progressus generaliter atque simpliciter modo subsequente describi potest. Postquam symptomata febrilia, per aliquod tempus, vel longius, vel brevius, uti circumstantiæ se ha-

bent, continuaverunt, puerpera sensu ponderis, vel doloris in unâ regionum pelvis lateralium supra inguen, se affici sentit. Inter corpus movendum, vel ex uno latere ad aliud vertendum, dolore et rigore afficitur. Si regio iliaca affecta inspiciatur, plenior vel firmior, vel, persæpe, tumore circumscripto afflicta, ferè semper observatur. Post hoc tempus membrum inferius ejusdem lateris afficitur. In principio debile, rigidum, aliquod etiam doloris inter motum afferens, sentitur. Parvo etiam tumore affectum apparet; totumque systema morbi fit particeps. Tumor et tensio celeriter progrediuntur; primo ad labium lateris affecti solummodò, deinde ad femur, ad poplitem, ad tibiam, ad pedem denique, et sic per totum membrum. Tumoris velox est profectus; persæpe enim intra spatium viginti quatuor horarum per totum membrum se diffundit, ita ut altero amplius duplo sit, et non nisi cum maximâ difficultate moveri potest. Læve, equabile, nitens et solito candidius apparet in omni parte, nisi in his ubi sitæ sunt glandulæ conglobatæ, quæ aliquandò duræ et nodosæ inveniuntur. Per totam superficiem, præcipue autem in inguine, ad poplitem

et in parte tibiæ inferiori, tactui pertenerum apparet. Si prematur, vestigium digiti, non, nisi versus morbi finem, retinet; neque ullam externæ inflammationis speciem manifestat; et si per scalpellum chirurgicum fit punctura, nulla exinde aqua plerumque emanat. Tumefactione progrediente, dolor fit minus excrucians. Si corporis constitutio sit laxa, vel hydropica, tumoris progressus est celerior, ejusque magnitudo amplior. Per totum morbi cursum, varia symptomata morbida exhibet systema; ut sunt, adauctus superficiei calor, præcipue partis affectæ, pulsus creber, lingua impura, grandisque vultûs anxietas. Piger plerumque est venter; fæcesque lutosæ apparent*; color urinæ limosus differt ab eo qui in aliquo alio morbo observatur†, atque decrescentibus symptomatibus iis limpidior devenit. Postquam quidam dies, sex plerumque vel decem, aliquandò etiam quædam hebdomadæ, secundum puerperæ corporis constitutionem, præterierunt, symptomata febrilia languescunt, dolorque, calor, tumefac-

* DENMAN, vol. ii.

† DENMAN iterum.

tio et elasticitas membri affecti, ad superiorem femoris partem primo, vel ad genu, et denique in tibiâ, vel in pede, decrescere gradatim incipiunt. Per aliquod temporis, postquam symptomata graviora decreverint, ægrota perdebilis, membrumque, et rigidum, et inhabile, remanet, et, si ejus positio ut plurimum sit erecta, persæpe hydropicum vesperam versus devenit. In quibusdam etiam casibus, qui non nisi rarissimè occurrunt, membrum durum, tumidum ignavumque, per quosdam annos, aliquandò per totam vitam, remanet; maximam similitudinem tibiæ tumidæ Barbadoiensi præ se ferens.

Dum dolor, tumefactio, tensioque unius languescunt, altera extremitas eodem modo precise persæpe afficitur, eundemque cursum ordinatum exhibet; neque hoc phenomenon, uti mera materiæ morbosæ translatio, considerari potest; membrum enim, quod prius afficiebatur, eundem cursum observat ac si alterum sanum remansisset. Hactenus de morbo tractavi, quasi ex suppositione, quod per suppurationem nunquam habeat exitum; neque reverà ullius reminiscor exempli, in quo istiusmodi eventus occurrebat, si unum perambiguum, de quo mentionem facit

TRYE, excipiatur*. Quidam etiam casus, in quibus membri gangræna occurrebat, memorantur †.

DIAGNOSIS.

PHLEGMASIA DOLENS pro aliquo alio morbo, si anasarcum et rheumatismum, quorum maximam præ se fert similitudinem, excipias, haud facilè sumi potest. Ab anasarcâ distingui potest, ex eo, quod symptomata febrilia prævia habeat phlegmasia, doloremque maximum afferat; ex eo, quod sit tensa et calida, et digiti vestigium in initio non retineat; ex eo, quod non detumescat, cum corporis positio ad circum finientem respondeat; et denique quod, si punctura fiat per scalpellum chirurgicum, nullum plerumque serum exinde effluat. A rheumatismo phlegmasiam distinguere possumus, ex eo, quod nullam hæc inflammationis externæ speciem habeat; e contra pellis pallidior est,

* Vide TRYE's Essays, p. 64.

† Vide HEVIN's Cours de Path. et de Ther. Chirurg.

quàm in corpore sano ; neque et dolor et tumefactio in articulis et musculis præcipue resident.

CAUSA PROXIMA.

Cùm morbus, de quo tractamus, non nisi in puerperis occurrat, et extremitates inferiores solummodò afficiat, concludere possumus, eum ex aliquâ causâ, per tempus puerperii operante, vel ex statu aliquo puerperis peculiari, originem ducere ; ejusque causa proxima inflammatio obstructioque glandularum lymphaticarum cumuli interni iliaci, cum subsequente accumulatione et coagulatione lymphæ, in substantiam cellularem membri affecti effusæ, esse videtur. Plerisque auctoribus (si Doctorem HULL * excipiamus) inter se, eousque, de hâc re, convenit. Quod autem ad causas excitantes horum symptomatum attinet, contrariæ sunt sententiæ ; eaque diversitas opinionum magnâ ex

* Vide HULL's Treatise on Phlegmasia Dolens.

parte uni causæ ascribenda est. Ex eo enim ortum habet, quod vix ulla detur opportunitas, quæ sint partium affectarum post mortem species, inquirendi. Et equidem dolendum est, hujus ambiguitatis continuationem esse probabilem, ex eo, quod hic morbus vix unquam lethales habeat exitus. In iis etiam perpaucis casibus, quorum lethalis fuit eventus, nulla opportunitas, quatenus ipsemet compertum habeo, morbosas diversarum partium species inspiciendi, sese offerrebat.

CAUSÆ EXCITANTES.

CONDITIO hæc obstructa et tumida glandularum inguinis, ex quâ cætera omnia infausta symptomata oriuntur, ex aliquâ harum trium causarum originem ducere potest : ex pressurâ nempe, quæ, per infantis caput, in ejus per *pelvim* transitu, fit ; vel ex absorptione materiæ acidæ ; vel ex inflammatione à parte aliquâ prope sitâ, per vasa absorbentia communicatâ. De harum unaquâque pauca quædam dicemus.

Per puerperii cursum, ex magnâ, quæ per infantis caput fit, pressurâ, glandulæ, quæ ad utraque pelvis latera sitæ sunt, permultum sæpe, idque in duram, inflexibilem et osseam pelvis marginem, comprimuntur. Ex hinc, harum glandularum, ita irritatarum et compressarum, et inflammatio et tumefactio oriuntur, ita ut lymphæ regressus impediatur. Ea brevè in inflexibilem substantiam membri cellularem effunditur, ibique stagnabit, et sic phlegmasia dolens excitabitur. Hæc, ut opinor, morbi causa est, et simplicissima et frequentissima. Hoc etiam modo, ut mihi videtur, meliùs explicari potest, cur, dum glandulæ affectæ, gradatim saniores magisque perviæ fiunt, ita etiam morbus gradatim decreseat; vel, uti aliquandò evenit, cur, postquam glandulæ et duræ et obstructæ per longum temporis intervallum remanserint, cum vasa absorbentia infra glandulas posita novum cursum, per quem effunderent lympham accumulata, invenerint, morbus hoc modo terminetur.

De materiæ acidæ absorptione, quæ à DENMAN ut sola phlegmasiæ dolentis causa excitans consideratur, secundo loco tractandum. Evi-

denter autem cùm TRYE atque WHITE de causâ ejus proximâ nihilominus consentit. Ut hanc opinionem magis magisque stabiliret, dicit, idque quidem contra experientiam, in omni casu phlegmasiæ dolentis fluxum *lochiorum* esse morbosum, cùm qualitas ejus sit acida insalubrisque species; et absorptionem hujus materiæ acidæ et vitiatæ ex utero esse causam inflammationis obstructionisque glandularum, ideóque morbi, de quo tractamus. Dicit præterea, si glandulæ imperviæ materiæ sic ex utero absorptæ ingressum in generalem corporis constitutionem non impediissent, morbum multò periculosiorem futurum esse.

Morbum hoc modo aliquandò excitari, ut arbitror, haud dubitandum. Huic doctrinæ saltem analogia suffragatur: anatomicis enim pernotum est, amplificationem et obstructionem glandularum, quæ in axillâ sitæ sunt, tumefactionem etiam brachii subsequentem, vel localem vel generalem, ex levi digitorum vulnere, vel incisurâ inter corpora putrida secanda, originem sæpe ducere. Gangræna quoque, haud rarò etiam ipsa mors, ex hujus veneni putridi absorptione oriuntur. Præmaturæ anatomici istius il-

lustris HEWSON mortes, Doctoris etiam WALSH Londinensis, tristia istius facti exhibent exempla. Pernotum est quoque tumefactionem et inflammationem glandularum inguinis, cum amplificatione extremi inferioris in eodem latere, per materiæ acidæ ex morbosâ glandulâ prostatâ absorptionem, vel ex fœdo alicujus partis extremi inferioris ulcere, sæpè excitari. Eodem modo etiam explicari potest tumefactio glandularum, in collis infantum sitarum, propter absorptionem materiæ acidæ ex capite in morbo, qui *tinia capitis* appellatur, aliisque capitis affectionibus, quibus infantes subjacent; neque absorptionem materiæ acidæ insalubrisque ex utero glandulas inguinis, ad quas provehitur, inflammare, imperviasque reddere posse, aut improbabile, aut contradictorium videtur. Verùm quod sit constans, solaque, ut quidam dicunt, phlegmasiæ dolentis causa, ut opinor, dubitari potest: Primo, quia morbus hic frequenter occurrit, idque etiam, cùm ne quidem mutatio levissima, vel in qualitate, vel in quantitate lochiorum fluxus, inveniri possit, et quia bene constat, eum haud rarò locum habuisse, idque etiam cùm lochia penitùs cessaverint. Secundo, quia certissimè constat, fluxum lochiorum con-

ditionis et maxime insalubris acidæque aliquandò fuisse, quod ad colorem ejus, odorem et spissitatem attinet, in eoque statu per longum temporis intervallum perseverâsse, neque tamen ulla phlegmasiæ dolentis symptomata eodem tempore apparuerant.

Tertiam dixi causam esse communicationem inflammationis per vasa absorbentia. Hoc quidem ita evidens est, et tam frequenter occurrit, quod nullam dissertationem peculiarem requirat. Rem ipsam notare sufficiat, et observare ex violenti distensione et pressurâ, quæ, durante puerperio, per infantis caput ad os uteri meatûsque exteriores excitantur, partes in hâc conditione contusâ, quæ inflammationi propinqua sit, frequenter remanere, ita ut hæc affectio provehi possit, per vasa harum partium absorbentia, ad eorum glandulas correspondentes, ipseque morbus hoc modo denique excitetur *. Ex his forsân concludi potest, si morbus post partum citissimè initium habeat, glandulæ iliacæ contusioni et subsequenti tumefactioni; sin seriùs, materiæ acidæ absorptioni, vel vasis lym-

* Vide TRYE's Essay, p. 48.

phatici inflammationi, ad glandulam lymphaticam continuatæ, eandemque ejus conditionem excitanti, ascribi posse.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

VAGÆ Gallorum et Germanorum de redundantia et translatione lactis aliorumque humorum conjecturæ, refutationem non requirunt; apud nos enim penitus rejiciuntur. Neque doctrina illa quorundam auctorum, de variôsâ conditione venarum unius vel utriusque extremi inferioris, dignior notatu esse videtur. Irritabilitas adaucta dispositioque ad inflammationem *, quæ durante graviditate locum habent, et majore etiam in gradu per aliquod post partum tempus, præcipuæ, et, meâ opinione, evidentissimæ causæ prædisponentes esse videntur.

Adauca etiam lymphaticorum † in mole uteri diminuendâ actio, per quam ea perturbationi

* HULL's Treatise, &c. p. 198.

† Aud. Prælectiones de Art. Obstet. in Acad. Edin.

magis obnoxia reddentur ; præmatura frigori, vel humiditati, vel utrique expositio ; ictus *, contusiones, vel violens musculorum abdominis actio ; nimia ex ambulatione, saltu, vel ex eo, quod puerpera per tempus nimis longum stet, vel ex aliâ quâcunque causâ, fatigatio. His alias quidam addiderunt, de quibus, ut mea fert opinio, non ita constat : Tales sunt suppressio vel diminutio lochiorum † fluxus, statum corporis plethoricum excitans ; et, eâdem ratione, lactis vel suppressio vel diminutio ; cibus ‡, vel nimiâ quantitate sumptus, vel qualitatis nimium stimulantis ; et, denique, conditio § nimis tensa, vel relaxata vasorum sanguinis, in inferiore corporis parte, extremitatibusque inferioribus, per posteriores menses graviditatis, excitata.

PROGNOSIS.

Si morbi tentatio subitanea, magnaue omnium functionum, ex violentiâ symptomatum fe-

* HULL. † HULL. ‡ Ibidem. § HULL iterum.

brilium doloris excruciantis, qui hunc morbum comitatur, perturbatio considerentur, haud dubitandum est, quin magnam et ipsius ægrotæ ejusque amicorum trepidationem excitabunt; nihilominus morbus hic noster lethales haud sæpe parit exitus. Persæpe tamen evenit, quod puerperæ sanitas, ex eo quod in cubiculo suo tam longè detenta fuerit, pedetentim obruatur; membrumque ipsum, propter ejus magnitudinem et ad motum difficultatem, magnâ ex parte inutile per vitæ reliquum reddatur. Si corporis constitutio sit mollis, violentia symptomatum febrilium lethalis aliquandò devenit; omnisque ad gangrænam dispositio pro symptomate infelici habenda.

MEDENDI METHODUS.

MORBUS, de quo disserimus, ex tribus stadiis constare dici potest; ad quorum singula nostræ curationis indicationes sunt accommodandæ. In morbi initio calor adauctus, adaucta etiam cordis et arteriarum actio, sitis immodica, &c. gradum equidem pyrexix hæud levem evidenter

indicant; ad cujus sanationem, ut remedium simplicissimum, venæsectio generalis indicari videtur. Ejus in Galliâ, ut opinor, etiam in Germaniâ, usus est universalis: apud nos autem, ægrotæ robur per magnas evacuationes consumere, haud necessarium aut prudens consideratur; et non sine ratione suspicari possumus, obitum plurimarum puerperarum, quarum casus per Continentis medicos numerantur, remediis antiphlogisticis nimium efficacibus, potiùs quàm ipsius morbi violentiæ naturali, esse ascribendum. Venæsectio igitur haud necessaria erit, nisi in perpaucis casibus; neque in ullo prudenter repetenda est. Vice hujus ægrota lecto suo quietè affigenda est; tenue victûs regimen, ex vegetabilibus, ex haustibus acidulis et refrigerantibus, et ex fructibus mitibus et mollibus constans, exhibendum. Cûbiculum in refrigerationis et ventilationis statu servandum. Alvus oportet sit laxa, etiam ad diarrhœam appropinquans, per quosdam dies vel plures, vel pauciores, prout se habent febrilia symptomata. In hunc finem sales medii, cùm absorptionem magno in gradu probabiliter promoveant, cæteris sunt proponendi. Ad generalem totius

corporis constitutionis anxietatem et irritabilitatem diminuendam et demulcendam, medicamenta opiata administranda sunt, felicesque pariunt effectus. In hoc stadio emeticorum *, vel dosium nauseantium antimonialium usus à quibusdam etiam laudatur; sed, considerata ut remedia generalia, eorum usum sine periculo prætermittere possumus. Cùm morbus non solùm augeri, sed etiam excitari, et continuari possit per lochiorum perturbationem, maxima attentio, etiam ab ipso initio, adhibenda est, ut bene ordinentur; et in hoc propositum iisdem mediis utamur oportet, quæ ad lochiorum sub aliquibus aliis circumstantiis perturbationem revovendam, utilia esse observantur. Maxima utilitas ex lanularum † in aceto calido madefactarum usu derivatur, præcipue si toti membro affecto ad primam morbi tentationem applicentur. Quandò una earum series refrigerata fit, harum locus per aliarum, eodem modo præparatarum, applicationem, supplendus est. Hanc tractandi methodum adhibendo et continuando,

* Vid. WHITE's Essay on Puerperal Swelled Legs.

† Prælect. Doct. HAMILTON audivi.

gradus et duratio doloris atque tumefactionis diminuentur, eorumque limites coarctabuntur; persæpe etiam per hanc methodum morbi progressum, etiam in ipso limine, impedire possumus, et ægrotam, hoc modo, intra paucos dies, sanam reddere; ad quod perficiendum, idem mensium numerus aliter forsân requireretur. Sed si totum membrum, idque in magno gradu, sit tumefactum, hæc methodus, vel nunquam, vel rarò, felices pariet effectus. Medicus igitur ad hoc morbi stadium provectum, cùm ex experienciâ hujus methodi inutilitatem cognoscat, septem vel octo hirudines * ad glandulas inguinis affecti applicari jubebit; et si, his amotis, vesicatorium iidem parti applicetur, optimi in omni ferè casu effectus pariuntur. Quod si post fluxum, ex vesicatorii applicatione, glandulæ et duræ et inflammatae continuaverint, idem hirudinem numerus iterum adhibendus est, et vesicatorium, ut antea, applicandum. Hoc modo glandularum obstructio efficaciter removetur, dum tumefactionis, doloris et tensionis diminutio in membro celeriter subsequitur.

* TRYE'S Essay on Puerperal Swelled Legs.

Si dum doloris violentia diminuitur, tumefactio et tensio inguinis et partis femoris superioris decrescunt, pulsus forsitan creber et quidam pyrexiae gradus remaneant, morbum secundum iniisse stadium dicere possumus. Cùmque in hoc stadio, propter ejus dolores præteritas, ægrotæ robur perdebile sit oportet, generosior diæta, vini nempè, et carnis, danda est. Ad hoc etiam tempus medicamenta tonica, ut sunt cinchona officinalis, ferrum, myrrha, &c. exhibenda sunt; hæc enim ad ægrotæ robur confirmandum, et ad febrilia symptomata, si quæ adhuc remanent, removenda, efficacissima sunt. In hoc etiam morbi stadio, si membrum affectum cum oleo calido, linimento camphorato, tincturâ saponis cum opio, vel cum aliis istiusmodi applicationibus stimulantibus, frequenter fricetur, multum ad tumefactionis diminutionem contribuit.

Morbus tertium stadium iniisse dici potest, cùm, postquam et dolor et febris gradatim decreverint, membri solummodò tumefactio habitusque relaxatio generalis remanent. Dum medicamentorum *tonicorum* usus adhuc continuatur, immersio vel totius corporis, vel membri affecti, in aquâ marinâ, multum contribuit, tum

ad membri robur confirmandum, quàm ad generalem sanitatem restaurandam. Ex eâdem ratione, exercitatio sub dio ægrotæ, vel curriculo, vel equo vectæ, utilis erit. Longæ autem deambulationes, vel ulla istius generis extremitatum inferiorum violens exercitatio, saltem donec ægrotæ robur sit magnâ ex parte refectum, potestasque membrum libere movendi restaurata, periculosa sunt. Quod si, uti aliquandò evenit, membrum adhuc tumidum continuat, utile erit, ad absorptionem lymphæ effusæ promovendam, membrum per fasciam lanulæ circularem comprimere. Sin autem membri pars inferior solummodò tumida sit, tibiale constrictum, vel ocrea brevis præponenda sunt. Usus etiam aquarum metallicarum purgantium, vel naturalium, vel arte factarum, laudatur: in paucis etiam casibus, *digitalem** bonos habuisse effectus constat. Si membrum, uti aliquandò occurrit, longiùs solitò durum et tumidum remaneat, hæ affectiones, per fricationem cum unguento hydrargyri, probabiliter removebun-

* Prælect. HAMILTON.

tur. Haud scio, si electricitas aut galvanismus ad membrum affectum applicentur, utrum aliquid utilitatis inde oriretur. Si gangræna vel sit probabilis, vel actu occurrat, iisdem remediis, ac si ex aliâ quâcunque causâ oriretur, oportet utemur.

FINIS.

Hanc scio, et electricam non galvanicam
 ad membram atelectam applicent, eorum ab-
 que d'artibus inde oritur. Si Galvanus vel
 sit probabile, vel actu secutus, hanc vice-
 dit, ac ex illa discurrat causa oritur,
 oportet hinc.

[The following text is extremely faint and largely illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page. It appears to be a continuation of a scientific or philosophical discussion.]

OSPITALIO MEDICA

OPUSCULO

ATTIDE CRONICA

DISPUTATIO MEDICA

DE

NERVITUDINE CHRONICA